



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. XVI. Congregatio Saxonica Eremitarum S. Augustini, quæ desiit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

**I**N Flandriæ & Artesiæ Comitatu multi solent Eremitæ seorsim singuli aut bini in siluis alijsque locis à populi concursu se iunctis viuere. Hos in vnam velut Societatem ac Congregationem collegit P. *Antonius Thouanus*, patriâ Lotharingus: quam sub regula sancti Augustini Paulus V. Papa approbavit, & visitationi Patrum Eremitarum Augustinianorum, prouinciæ Belgicæ, anno 1615. Guido Bentiuolus, Apostolicus tunc apud Belgas Nuntius, submisit.

*Congregatio Saxonie, Eremitarum  
S. Augustini, quæ  
desiit.*

**H**anc anno 1497. Andreas Proles in Saxonia & Turingia instituerat, & Alexander VI. confirmauerat, & sedi Apostolicæ immediatè subiectam esse voluerat: sic vt visitationi Prioris Generalis & Prouincialium ord. Eremitarum S. Augustini non subesset. Sed infausta admodum, prò dolor, hæc fuit exemptio, & maledicta Saxonie Congregatio, quæ monstrum illud ac pestem Germaniæ, Martinum inquam Lutherum, hæresiarcharum nostri æui principem, orbi protulit. Quapropter dicta Congregatio iure merito summo mox extincta est, eiusdemque instituti monasteria alios in vsus sunt conuersa: vt in-

ter

ter cæterâ Antuerpiense, quod in Parochiale S. Andreæ Basilicam est commutatum. Vide Ios. Pamphilum in Chronico Augustiniano, & Carolum Scribanium in Originibus Antuerpianis, cap. II.

Ceterum de Scriptoribus ord. Eremitarum S. Augustini exstat P. *Thome Gratiani Anastasis Augustiniana*, Colonia anno 1613. edita.

## CAPVT XVII.

*De S. Ioanne Bono Mantuano Confessore, & alijs Sanctis ord. Eremitarum S. Augustini.*

**I**oannes Bonus, Mantuæ Ioanne patre natus, cum patre defuncto opes amplas in voluptatibus, lubricorum iuuenum consuetudine vsus, consumeret, matre pro eo ad Deum preces assidue fundente, in grauem morbum incidit, ex quo ad meliorem frugem redactus, spondit, si euaderet, se ad vota Religionis transiturum. Recuperata itaque valetudine, & mortua matre, omnes facultates in pauperes erogauit, & in specu apud Cæsenam aliquamdiu se mirum in modum afflixit, veste Eremitarum S. Augustini indutus. Cum carnis incendijs æstualet, ut eam tentationem dolore superaret, calamos præacutos arundineos sub manuum unguibus infixit: ex quo

**R** dolore